Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

illi. ut sincera sit eius instructio. quam conditio incorrupta fuit. Quod bonum universitatis deus impedire non debet. etiam si illud bonum alicui non est.

xix. Contingit autem quod bonum est alicui bonum esse illi. et non esse bonum ad omnia. Et item quod malum est alicui malum esse illi. et bonum omnium esse. quoniam ex eo bonum est omnium. et quod bonum est. et alicui bonum est. minus esse bonum quam quod malum est. et alicui malum est. quoniam ex eo ipso maius est bonum. ex quo omnium bonum est. et maius bonum est esse illud a quo maius bonum est. et cum illud alicui bonum non est. quoniam in toto bonum est. Non debuit autem in compensatione minoris boni impediri quod maius bonum ab eo quod optimum est. Et diximus quoniam maius bonum est esse bonum ex malo et bono. quam ex solo bono. Permitti itaque mala debuerunt ut essent. quoniam ut essent id bonum erat ex quo bonum futurum erat. Precepit itaque deus quod bonum erat singulis. et permisit quod bonum erat universis. quo et maius erat bonum universitatis quod impedire non debuit. et non bonum erat quod malum erat alicui. cuius auctor esse non potuit. Et ideo precepit unicuique quod bonum erat. et quod illi bonum erat. et precipiendo illud significavit se velle illud. et sunt signa voluntatis eius precepta eius. et vocantur voluntas eius. quia signa sunt voluntatis eius. quoniam vult et approbat. et diligit. et amica sibi iudicat bona que precepit. et mala que prohibet odit. et detestatur. et non invenit concordiam et amiciciam in illis. et vult tamen esse ipsa mala que non vult propter maius bonum quod ex illis est. quod magis vult. Sed non pertinet ad nos neque exigitur a nobis nisi quod nostrum est et quod bonum nostrum est tantum. ut faciamus et approbemus et diligamus in nobis sicut et deus diligit et approbat bonum nostrum tantum in nobis. ut ei similes simus diligendo et faciendo bona. sicut et ipse bona tantum diligit et facit. Et cum precipitur nobis quod bonum nostrum est. significatur nobis quod deus hoc vult. et pertinet ad nos ita sentire. et ita credere quoniam deus hoc vult quod precipit nobis ut faciamus. Et non sit tamen nisi quod ipse vult fieri sive faciamus. sive non faciamus quod precipit nobis. et si faciamus bonum. voluit hoc deus. et voluit quod factum hoc et approbat quod factum est. et quod factum est vult quia factum est. et bonum est. Et si faciamus malum vult quod non faciamus bonum. et approbat illud. quoniam bonum est. et non approbat malum quod facimus. quoniam malum est. et tamen vult quod factum est. quia factum est. quoniam id bonum est. quia factum est. et vult ipse quod bonum est. Et constat opus voluntas eius certa et firma in beneplacito suo approbans bona. et permittens mala propter bona. que nec per impediri ut non fiat quod in ipsa est. neque infirmari aliquando ut fiat quod in ipsa non est. Quod operatio et permissio dei signa sunt. Quod esse bonum sit. etiam si illud bonum non sit. xx.

Et secuntur post ipsa signa eius. et permissio eius. et operatio eius. et ostendunt quod in illa est. quoniam in ipsis idem est. Quod preceptio et prohibitio signa sunt quod bonum sit. etiam si illud esse bonum non sit. xxi.

Et adduntur precepta et prohibitiones. et sunt ipsa quoque signa et demonstrationes voluntatis summe et complaciti eius per approbationem et dilectionem. non similia quidem signa prioribus. sed demonstrationes tamen et significationes approbationis et complaciti in eo